



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 42. S. Benedicti Anianensis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

De his Sanctis omnibus, si Lucium ^{Sæculum IX.}
 excipias, occurrit mentio in Actis S. Cæ- ^{A. C. 821.}
 ciliæ, quæ licet hac Translatione anti- ^{ap. Sur. 22.}
 quiora videantur, recentiora tamen sunt, ^{Nov.}
 quam ut fidem plene mereantur. Inde
 nec tempus, nec locum, quo illustrissima
 Virgo Martyrium passa est, accurate sci-
 mus. Paschalis Papa in honorem San- ^{Tillemont.}
 ctorum istorum prope Ecclesiam S. Cæ- ^{to. 3. p. 260.}
 ciliæ fundavit Monasterium, in quo Mo- ^{689.}
 nachi Officium Divinum diu noctuque
 celebrarent. Hanc Ecclesiam munifice
 ornavit conferens vasa argentea plus-
 quam nongentarum librarum: Præter a-
 lia Ciborium seu Tabernaculum quin-
 gentarum librarum, magnam vim vela-
 mentorum, & pretiosorum textilium,
 quorum aliquod Angelum S. Cæciliæ,
 Valeriano, & Tiburtio coronas imponen-
 tem exhibebat. Unde videmus, quod
 illa tempestate Actis memoratis fides ha-
 bita sit.

§. XLII.

S. Benedicti Anianensis obitus.

In Francia S. Benedictus Anianensis eo- ^{vit. n. 50. 52.}
 dem anno octingentesimo vigesimo ^{to. 5. Act. B.}
 primo e vita migravit, postquam Fratres ^{p. 211.}
 Monasterii sui Indensis prope Aquisgra-
 num ad eum perfectionis Regularis gra-
 dum perduxisset, ut Monachi ex diver-
 sis mundi partibus illuc advenientes non
Hist. Eccles. Tom. XI. I ver-

Sæculum IX.
A.C. 821.

verbis, sed ipso exemplo & factis ad pietatem Monasticam informarentur; quippe Monachorum illorum habitus, incensus, modestia hospitibus pro salutari doctrina erat, nec quidquam de iis omnibus, quæ in Conventu Abbatum anno octingentesimo decimo septimo placuerant, negligebatur. Præterea Benedictus in Monachorum subsidium omnium Regularum Monasticarum collectionem edidit, quæ nota est sub nomine Codicis Regularum, & dividitur in tres Tomos, quorum primus Regulas Monachorum Orientis, secundus Monachorum Occidentis, & tertius Sanctimonialium complectitur. Scripsit etiam Regularum concordiam, in qua omnes ad Capita Regulæ S. Benedicti per modum Commentarii referuntur.

• 56.

Quamvis Benedictus multis attereretur infirmitatibus, nihilo tamen minorationi & lectioni insistebat, semper genæ lacrymis madebant. Quatriduo antequam moreretur in Palatio erat Imperatoris, quem suis consiliis de more adjuvabat. Ubi febre se correptum sensit, ad domum, quam Aquisgrani habebat, se recepit. Tum vero tanta Episcoporum, Abbatum, ac Monachorum adfuit frequentia, ut Monachi ejus familiares ad præstanda obsequia accedere non possent. Primus omnium venit Helisachar

Helifachar Abbas, qui ei usque ad supremum
 halitum assidue adhæsit. Sub noctem
 misit Imperator quemquam sibi a cubi-
 culis cum mandato, ut Benedictus ad
 suum Monasterium deduceretur. Ubi
 illuc pervenit Benedictus omnes exire
 præcepit, & horis tribus solus perman-
 sit. Post hæc admissus Helifachar cum
 Præposito Monasterii percontatus est ut
 se haberet? ille nunquam se melius ha-
 buisse respondit, seque inter Choros San-
 ctorum coram Domino adstitisse. Alte-
 ra die vocatis Fratribus monita saluta-
 ria dedit, inter alia confessus, se ab an-
 nis quadraginta octo, ex quo Monachus
 fuisset, nulla unquam die, nisi præmissis
 coram Deo lacrymis, cibum sumsisse.
 Ipsa die Imperatori & aliis quibusdam
 scripsit nempe Georgio Abbati Anianen-
 si, & Nebridio Archiepiscopo Narbonensi.
 Imperatori monita dedit, ab aliis postu-
 lavit pro se orari. Tandem Spiritum
 emisit, annos natus septuaginta, undeci-
 ma Februarii anno 821. Indictione deci-
 ma quarta. Vitam ipsius scripsit Ardon
 Smaragdus ejusdem Discipulus. Anno
 sequente cum Tructesindus Abbas Ania-
 nensis electus fuisset, Ludovicus Impe-
 rator electionem confirmavit datis litte-
 ris, in quibus hortatur Monachos, ut
 Disciplinam a Benedicto invec̄tam serva-
 rent, & suum iis promittit præsidium.

Sæculum IX.
 A. C. 821.

To. I. capit.
 p. 623. Ma-
 bill. to. 5. Act.
 B. p. 192.